De ignominioſa miſſione.

11. Impp. HONOR. & THEOD.[1] AA. Anthemio P. P.

SI quis ex grege cohortalinorum, urgente criminis inſectatione ſtipendiis fuerit exemptus, aut otio traditus[2], quietis artibus immoretur, aut ſi ad priſtina ſacramenta precum miſeratione maluerit repedare: indultum noſtræ Majeſtatis oraculum Ampliſſimæ tuæ Sedi offerat allegandum. Datum 14. Kal. Mart. CP. HONOR. X. & THEOD. VI. AA. CONSS. 415.

Ne cohortalini ad aliam adſpirent dignitatem, 1. vel militiam, 2. ſive fortunam. 3. De negotiatoribus & ergaſteriis adhærentibus.

12. Impp.[3] THEODOS. & VALENT. AA. Iſidoro Præfecto Prætorio.

SI[4] Cohortalis[5] Apparitor, aut obnoxius cohorti, ad ullam adſpiraverit dignitatem: ſpoliatus omnibus impetrati honoris inſignibus, ad ſtatum priſtinum revocetur: liberis etiam in tali [ejus] conditione ſuſceptis, fortunæ patriæ mancipandis. §. 1. Quod ſi quis ex his auſus fuerit ullam affectare militiam, nulla præſcriptione temporis muniatur, præter eam ſcilicet quæ ex triginta[6] annis colligitur: ſed ad conditionem propriam retrahatur: nec[7] ipſe, vel liberi ejus poſt talem ipſius ſtatum procreati, quod cohorti debetur, valeant declinare. §. 2. Sed nec ad aliam cohortalinus vel cohortalini filius audeat adſpirare fortunam, cui majorum[8] ſuorum exempla præjudicant. §. 3. Sed etiam cunctos qui[9] diverſarum rerum negotiationibus detinentur, trapezitas ſcilicet vel gemmarum argentique veſtiumve venditores, apothecarios[10] etiam, cæteroſque inſtitores aliarum mercium, quibuſcunque ergaſteriis adhærentes, jubemus a provincialibus officiis removeri: ut omnis honor atque militia a contagione hujuſmodi ſegregetur[11]. Dat. 3. Non. April. *Conſtantinopoli*, ISIDORO & SENATORE CONSS. 436.

De his, qui ad aliam militiam, vel dignitatem adſpirant.

13. Iidem AA. Florentio P. P.

NUllum ex Primipilaribus, nullum ex Principe[12] Cohortalis officii, vel ad aliam poſſe militiam adſpirare, vel miniſteriis ſibi contra publicam utilitatem blandiri, vel ad quamlibet aliam dignitatem ad præjudicium[13] præteriti ſtatus accedere concedimus. Quod ſi contra hanc tam ſaluberrimam formam, vel reſponſa cœleſtia quædam militia aut dignitas audacter eliciatur: pro ingeſtis haberi, etiamſi ſpeciali adnotatione noſtræ indulgentiæ eam obtinuiſſe videatur: nec adſertionem ei quoquo modo patere, qui ſe memoratis artibus publicæ ſtudet commoditati[14] ſubtrahere, ſed ſtatim Civitatis, unde oriundus eſt, Curiæ tradi præcipimus.

14. Imp. LEO[15] A. Conſtantino P. P.

QUiſquis Cohortalibus[16] adhuc obſequiis obligatus, vel regimen Provinciæ, vel cingulum cujuslibet militiæ, vel dignitatis[17] quoquo modo meruerit: ante omnia contra licitum uſurpatis impetratisve careat, etiamſi ultronea[18] noſtra liberalitate jus gerendæ Provinciæ, vel militiæ ſeu dignitatis cujuſpiam ſibi jactaverit fuiſſe delatum, dehinc univerſis ſolatiis conditionis, quam ſpreverat[19], defraudatus, ne quid eorum omnino per ſe vel per interpoſitam perſonam poſſit acquirere, Primipili tantum[20] munus implere cogatur: mox curialibus civitatis, in qua natus eſt, in diem vitæ ſuæ functionibus inhæſurus[21]: ita ſcilicet, ut[22] etiam hi, qui poſt impletam talem militiam quodlibet militiæ dignitatisve genus affectaverint, curiæ [patriæ] ſuæ reſtituantur. Datum 6. Kalend. Jan. CP. LEONE A. IV. & PROBIANO CONSS. 471.

TIT. LIX.
DE APPARITORIBUS PRÆFECTI ANNONÆ.

1. Imppp.[23] VALENS, GRAT. & VALENT. AAA.

APparitores Urbanæ Præfecturæ annonario officio ſeſe non inſerant[24], ſed Apparitorum æmulatione ſecreta[25] miniſterio ſuo annonæ Præfecturæ fungantur.

2. Impp.[26] ARCAD. & HONOR. AA.

PRæfectus annonæ canonem qui ad officium ſuum pertinet, per compulſores ſuos exigat: & cum officio ſuo retineatur obnoxius, qui ad implendum canonem devotionis ſuæ exactionem non oſtenderit.

TIT. LX.
DE[27] DIVERSIS OFFICIIS ET APPARITORIBUS JUDICUM, ET PROBATORIIS[28] EORUM.

1. Imppp.[29] VALENT. VALENS & GRATIAN. AAA. Severo Mag. militum.

SI[30] quando præfectus Prætorio, vel Vicarius, aut Rector Provinciæ ſignificaverit eum, qui chartis ac ratiociniis publicis invenitur obnoxius ad præpoſitum caſtri ac militum tranſiſſe: retractus, illi adſignetur officio, [a[31]] quo ad neceſſitatem præſtandi ratiocinii devocatur[32]: in rejecti[33] vero locum is potiſſimum deſtinetur, cui meritorum adſtipulantur[34] inſignia. Datum 10. Kalend. Januar. GRATIANO A. II. & PROBO CONSS. 371.

Reſolutus a militia, ad eandem non adſpirabit ſine licentia Principis.

2. Impppp.[35] GRATIAN. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAAA. Euſignio P. P.

NUllus[36] ex his, quos claruerit militia reſolutos, indebita denuo ſacramenta ſine Auguſti[37] affatibus ſuſcipiat. Si quis autem id per obreptionem forte meruerit, quinque librarum auri multetur incommodo. Dat. prid. Id. Jul. *Mediolan.* HONORIO NB. P. & EUODIO CONSS. 385.

3. Iidem AAAA. Euſignio P. P.[38]

NUllus Apparitor Amplitudinis tuæ, vel de officiis Palatinis ad eam provinciam, ex qua oriundus eſt, vel in qua collocaverit larem, vel qui jam in hujuſmodi officio fuerit commoratus, obtentu publicæ neceſſitatis, vel executor privati negotii dirigatur. Etenim officii[39] tuæ Celſitudinis primiſcrinius[40] tres libras auri fiſci utilitatibus ſine dilatione perſolvet, ſi ſtatuta fuerint temerata. Apparitor vero, qui huic ſe muneri paſſus eſt deputari, militia ſpoliabitur. Hæc vero pœna etiam cæteris irrogata eſt, ut ſi domeſticus, aut protector, aut Stator[41], vel Agens in rebus, vel Palatinus utriuſque officii, vel ad eandem Provinciam, in qua natus eſt, vel ad eam, in qua collocaverit larem, cum hujuſmodi uſurpatione perrexerit: matriculis quidem exemptus ipſe, qui ſe voluerit mitti, auri libram unam fiſci juribus inferre cogatur[42]: Adjutores vero officiorum, [&] Palatinorum ac numerarii Comitum illuſtrium Virorum, ſive Actuarii libram auri fiſci juribus ſolvant, niſi ſtatuta fuerint cuſtodita. Datum 2. Non. Decembr. *Mediolan.* HONORIO NB. P. & EUODIO CONSS. 388.

4. Imppp.[43] THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA.

QUi vel[44] exiguam rei familiaris ſubſtantiam habent, militare in Apparitorum[45] numero non vetentur.

Apparitor ob culpam vel negligentiam amotus officio per ſententiam, ad nullam militiam adſpirabit. Bart.

5. Impp.[46] HONOR. & THEODOS. AA. Graccho Præfecto urbi.

QUicunque[47] Apparitores ob culpam, vel negligentiam fuerint judicato diſcincti[48], [jam] ad nullam militiam habeant facultatem adſpirandi: nec ex reſcripto his ullus aditus referetur, quos congruit pœnæ graviſſimæ ſubjugari, ſi contra inhibita quoque ſacratiſſimis conſtitutis adſpirare contempſerint[49]. Dat. 8. Kal. Auguſt. *Ravennæ*, HONORIO X. & THEODOS. VI. AA. CONSS. 417.

6. Impp.[50] THEOD. & VALENT. AA. Hierio P. P.

IN[51] his officiis, id eſt, Virorum Spectabilium Proconſulis Aſiæ, Comitis Orientis, Præfecti Auguſtalis, & Vicariorum, quos etiam monuimus ſub XXX.[52] interminatione librarum auri, nemo aliter admittatur, niſi eum emiſſa ſacri ſcrinii probatoria[53] conſecraverit. Quod ſi quis [talis[54]] ſub tua fuerit abdicatione[55] convictus: profecto[56] irritis his, quæ vetita contrectaverit, etiam congruam indignationem incurret. Dat. 10. Kalend. Jul. *Nicomediæ*, DD. NN. THEOD. XII. & VALENTIN. II. AA. CONSS. 426.

7. Iidem AA. Anatolio mil.

AD ſplendidioris privilegia militiæ poſteaquam priorem continuo labore compleverint, eos venientes admittemus, qui ea[57] voto adipiſcendi honoris crediderint expetenda[58]: non eos, qui ſtudio exercendæ cupiditatis ambierint, ut velut in meliori fortuna poſiti, aut ea ſcelera, quæ prius commiſiſſe doceantur, occultent, aut alia deinceps poſſint impune committere.

Duces, & Apparitores, & limitanei caſtrorum ſub officiorum Magiſtro conveniuntur. Bart.

8. Impp.[59] LEO[60] & ZENO AA. Joanni Magiſt. offic.

VIros Spectabiles Duces eorumque Apparitores, nec non Limitaneos, caſtrorumque Præpoſitos, tantummodo ex[61] ſublimis tui judicii ſententia conveniri, nec aliis ſubjacere Judicibus præcipimus: Illuſtribus ſcilicet ac Magnificis Viris Magiſtris militum conſuetudine[62] ac poteſtate, ſi qua ad limites aliquos Orientis, Thraciarum, & Illyrici, ex longo tempore hactenus obtinuit, reſervata.

9. Iidem AA. Hilario Mag. offic.

PRobatorias[63] Memorialium & agentium in rebus cæterorumque nihilominus Apparitorum Prætorianæ per Orientem ampliſſimæ Præ-

1 *Al.* Imp. Leo A. 2 *Tributur.* 3 *Al.* Imp. Zeno A. 4 *l.* 13. *l.* 14. J. *h. t. l.* 13. *ſupr. de off. rector. provinciæ.* 5 *C. Theod.* 12. 1. 188. 6 Legendum *quadraginta*, ut in *C. Theod.* & meo vet. manuſcript. *Contius.* 7 Ne ipſe. 8 Majores, qui ante nos: hic pater, ut *l.* 22. *verſ. nec vero domum. ſupr. de adminiſtr. tutor.* 9 Vid. *l. un. ſupr. negotiatores ne militent. h. lib. tit.* 35. Huc referenda lex Thebanorum antiqua, qua cavebatur, ut ne quis ad honores admitteretur, niſi decem annis a mercatura deſtitiſſet. Ariſtoteles 3. *Polit.* 3. 10 Vid. Cujac. 2. *obſerv. ult.* 11 Niſi princeps conceſſit. *l.* 1. *ſupr. quib. ex cauſis ſervi.* 12 *l.* 12. *ſupr. eod.* 13 Apud Judicium. 14 Commoditate. 15 *Al.* Anaſtaſius A. 16 *l.* 12. J. *h. t.* 17 Alias additur, *ſua.* 18 Motus proprius principis quid, dixi *l.* 3. *ſupr. de legib.* 19 Speraverat. 20 Tantummodo. 21 Manſurus. 22 Ut &.

23 *Al.* Imp. Antoninus A. 24 Inferant, ut *l.* 4. *ſupr. prox. tit.* 25 Eſt quidem præfectus annonæ ſub diſpoſitione præf. urbi, & uterque annonæ civilis curam agit. Sed ſeparatas apparitiones habent, quas lex confundi & commiſceri vetat. *l.* 1. *C. Theod. de cond. in publ. horr.* Præfecti autem annonæ apparitores, annonarii dicuntur, præfecti urbi, urbaniciani. *Mod.* 26 *Al.* Imp. Conſtantinus.

27 *L.* 8. *C. Theod.* 7. 28 Probatoribus. 29 *Al.* Imp. Conſtantinus.

30 *l.* 11. *C. Theod. h. t.* 31 *Al.* deeſt. 32 Denotatur. 33 Revocati. 34 Aſſignantur. 35 *Al.* Imp. Conſtantinus A. 36 *l.* 18. *Cod. Theod. h. t.* 37 Auguſtis. 38 Al. *Idem A. & Julia. Cæſ. P. P.* 39 Officio. 40 Primiſcriniis. 41 Strator. 42 Cogetur. 43 *Al.* Imp. Julianus A. 44 *l.* 19. *C. Theod. h. t.* 45 Jam apparitorum. 46 *Al.* Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. 47 *l.* 20. *C. Theod. h. t.* 48 Diſtricti. 49 Præſcripſerint. 50 *Al.* Impp. Arcad. & Honor. AA. P.P. 51 *l.* 20. *C. Theod. h. t.* 52 Al. *viginti.* 53 Vide *l.* 9. J. *h. t.* 54 *Al.* deeſt. 55 Judicatione. 56 Profecto quod vetito contrectavit. 57 Eam voto. 58 Expetendo. 59 *Al.* Imp. Theodoſius A. Magiſtro officiorum. 60 Citatur hæc conſtitutio in *Novell.* 109. 61 Forum ſortiebantur apud Magiſtrum officiorum, duces, limitanei, caſtrorum præpoſiti. vide quæ ſcripſi ad *rubricam Tituli de Quæſtorib. & Magiſtris officiorum.* 62 Jurisdictio præſcriptione acquiritur. *l.* 2. J. *de fund. limit. l.* 11. *tit.* 59. *l.* 3. *ſupr. de emancip. lib. cap. cum contingat. x. De foro competenti. cap.* 1. §. *irrefragabili. x. de offic. Ord.* Anſ. 63 Probatoriæ ſacræ, *hic*, & *l. ult. ſupr. de murilegulis l.* 11. *tit.* 7. (quæ & proſecutoriæ, in *l.* 14. *ſupr. de murilegulis*) in multis exiguntur. *Edictum Juſtiniani* 8. & 13. ſic dictæ, quod iis laudentur & confirmentur, qui eas conſecuti ſunt. *l.* 7. *C. Theod. de privilegiis eorum, qui in ſacro palatio militant.* adde *l.* 6. *ſupr. h. t. l.* 10. J. *h. t. l.* 5. *ſupr. de off. magiſtri officior. l.* 3. *in fin. ſupr. de agentib. in reb. h. lib. tit.* 20. *l.* 12. J. *de cohortalib. h. lib. tit.* 58. vid. Cujac. *Novell.* 24.

fecturæ,

fecturæ, eorum etiam qui in diverſorum Judicum officiis numerantur, ex ſacris probatoriis ſolito more militiæ ſacramenta ſortiri decernimus: non paſſim, nec licenter[1], ſolis auctoritatibus[2], vel ſacrarum militarium literarum exemplaribus, ſed ex authenticis tantum ſacris probatoriis manu noſtra ſubſcriptis, & noſtro arbitrio præſtandis, ita ut nullus his dolus aut fraus poſſit annecti: de his etiam, qui ſunt veræ[3], & catholicæ fidei, jubemus, admitti. Aliter vero militantes, niſi ex his ſint, quos ſolis auctoribus apparitioni aggregari vetuſta conſuetudo perdocuit: detecta fraude cujuſcunque accuſandi ſtudio, non ſolum mendaci carere militia, ſed & proſcriptionis ſtylum[4] ſubire decernimus, & bonorum omnium amiſſione multamus.

10. Iidem AA. Erythrio P. P.

HAc ſanctione decernimus, ut in poſterum nemini licentia ſit edendi exemplaria his, qui ſociandi ſunt cuicunque militiæ, quam ſine divinis probatoriis[5] adipiſci non poſſunt, ſed periculo primatum uniuſcujusque officii ipſas authenticas [ſacras], quæ divinam noſtræ pietatis continent adnotationem cum ſubſcriptione adminiſtrantium, ſub quorum jurisdictione conſiſtunt, his, qui militare volunt præſtari: exemplaribus videlicet eorum cum ſubſcriptione eorundem Judicum apud ſingula quoque officia, prout convenit, reſervandis[6]. Quamvis autem manifeſtum ſit de hujuſmodi probatoriarum obſervatione excepta eſſe cæterorum judicum officia, tamen ne ulla [ei] ignorantiæ relinquatur occaſio, omnium officiorum, quibus neceſſe eſt per ſacras probatorias militiæ ſociari, notitiam [in] ſacris apicibus ſubdendam eſſe cenſuimus. Sub hac igitur obſervatione omnes, qui ſive in hoc ſacro Palatio noſtro, ſive in aliis quibuſcumque officiis deinceps militare cupiunt: qui tamen (ut dictum eſt) non poſſunt pro tenore ſacrarum conſtitutionum, vel veteri conſuetudine, niſi præcedentibus[7] ſacris probatoriis militiæ ſociari, ſicut ſubjecta[8] notitia demonſtrat[9], adipiſci præcipimus, ſcientibus his, qui ex aliqua parte præſentis noſtræ ſerenitatis legis formam conniventia, vel negligentia quadam colludere[10] tentaverint, non tantum amiſſione bonorum omnium, ſed etiam capitis periculo, utpote crimini falſitatis obnoxios ſemet [ipſos] eſſe plectendos. † Et eſt notitia [hæc[11]]: Scrinii memoriæ probatoriæ Agentium in rebus palatinorum [ſacrarum] largitionum[12], rerum privatarum partis Auguſtæ. Item Scrinii ſacrarum epiſtolarum ſic: in officiis virorum illuſtrium præfectorum[13] prætoriis[14] Orientis, & Illyrici, & Urbi, officii Proconſulis Aſiæ & Africæ, officii Comitis Orientis, officii Præfecti Auguſtalis, officii Comitis divinarum domorum, officii Vicariorum Thraciæ[15], Ponti, & Aſiæ, & Macedoniæ, & Theſaurenſium claſſis. Item Scrinii ſacrorum libellorum ſic: officii Virorum Magiſtrorum militum utriusque[16] Præfecti Orientis, & Illyrici, invitatorum, admiſſionalium[17], memorialium, omniumque pædagogorum[18] cellariorum, menſorum, lampadariorum eorum, qui in ſacris ſcriniis deputati ſunt, decanorum partis Auguſti, & curſorum partis Auguſtæ, officii Virorum Spectabilium Ducum Palæſtinæ, & Meſopotamiæ, nobilis Comitis Phœniceſeos, Corſenæ[19], Syriæ, & Auguſtæ Euphratenſis, Arabiæ, & Thebaidis, Lybiæ, Pentapoleos, utriusque Armeniæ, utriusque Ponti, Scythiæ, Myſiæ[20] primæ, [ſecundæ,] Daciæ, Pannoniæ, officii Virorum Spectabilium Comitis Ægypti, Pamphyliæ, Iſauriæ, Lycaoniæ, & Piſidiæ.

TIT. LXI.
DE[21] EXECUTORIBUS ET[22] EXACTORIBUS.

Ne apparitores, vel palatini exactores per provinciam vagando inferant provincialibus moleſtiam, periculum geſtorum per eos pertinet ad eos, quorum ſunt apparitores, & exactores. Bart.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. ad Provinciales, & ad Proconſules.

NE[23] per diverſas Provinciarum partes, aut Palatinus[24] exactor accederet, aut Illuſtrium Virorum Apparitor[25] vagaretur, vel militaris terror inferret formidinem: hac lege ſancimus, ut omnes memorati intenti ſint ad[26] Provinciæ Rectorem, & cum eo agant: illo inſiſtente[27], diſponente, & agnoſcente, & ſuo periculo rem peragant, & impleant[28] univerſa. Dat.[29] 17. Kalend. Jul. *Mediolani*, OLYBRIO, & PROBINO CONSS. 395.

2. Iidem AA. Andromacho P. U.

QUicunque[30] ex Palatio noſtro cujuslibet tituli ad Provincias commeaverit, compulſor, exactor, admonitor, portitorve præcepti, Agens in rebus, vel Palatinus, vel Apparitor Illuſtrium poteſtatum: hoc tantum poteſtatis arripiat, quod mandatum curiæ[31] ſuæ ſpecialiter approbatur[32], nec quod injunctum alteri fuerit, collegii jure præſumat: ne[33] dum hoc ſibi invicem mutui officii licentia partiuntur, agant cuncti, quod ſingulis credebatur. Dat. prid. Id. Jul. *Mediol.* OLYBRIO, & PROBINO CONSS.

Exactor intra annum debet oſtendere quid exegit; & ſi non exegit, cauſam denotare, cur non exegerit, alias punitur. Bart.

3. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Palladio P. P.

SIve[34] ex Prætoriano officio, ſive illuſtris Comitivæ ſacrarum largitionum, nec non & rei privatæ noſtræ [militiæ], vel ex quacunque apparitione ad quamcunque neceſſitatem profligandam quis fuerit deſtinatus, ſciat[35] ſe intra anni metas debere collectis ratiociniis ad proprium judicem remeare, eique ſuam efficaciam oſtendere, & quid (in) ejus inſtantia exactum fuerit, quidve in debitis habeatur, & penes quos reſederit, vel cujus culpa, aut qua cauſa in eadem provincia fuerit derelictum. Quod ſi exacto ſpatio anni in ejus regionis viſceribus prædator inſidians[36], deprehenſus fuerit remorari: tunc abſolutus cingulo militiæ abjicietur, primoribus[37] ejus militiæ decem librarum auri multa propoſita[38], ſi redire diſſimulet: & per vices[39] officiorum ligatus ferreis nexibus, cura Provincialis officii ad debitum mittatur examen: nec ei liberum ſit, ut hoc ſe privilegio aut occaſione defendat, quod ſibi aliud negotium, vel aliam neceſſitatem poſt injunctam eſſe cauſetur, cum hiſdem licentiam auferamus in eadem Provincia continuare exactionem. Dat. 10. Kal. Octob. D. N. THEOD. A. VII. & PALLADIO CONSS. 416.

4. Iidem[40] AA. Joanni P. P.

NUllam poſſeſſionem alterius[41] pro alienis debitis publicis vel privatis præcipimus conveniri. Dat. 5. Id. Jul. *Ravennæ*, HONORIO XIII. & THEOD. X. AA. CONSS. 422.

5. Impp.[42] HONOR. & THEODOS. Auguſti Voluſiano Præfecto Prætorio.

COntra noſtra præcepta ſi quiſquam vetito [ac temerario[43]] auſu exactionem[44] audebit, licebit Provinciæ moderatori eundem correptum ad Sublimitatis tuæ judicium ſub proſecutione[45] dirigere, & licebit[46] Provinciali, ſi[47] probetur obnoxius executor[48] contra vetitum exactionem ſibi vindicans, temeritatem legitime repellere.

6. Imp. ZENO[49] Arcadio P. P.

SAncimus, ut eum cui ex judicio tui Culminis quocunque modo, ſive ſtudio Numerariorum aut Tractatorum[50], vel ipſorum juſſu, qui pro tempore ampliſſimæ tuæ ſedis adminiſtrationem ſuſcipiunt, exactio publicarum pecuniarum injungatur, minime prius liceat aliam ſollicitudinem gerendam ſuſcipere, quam reverſus injunctæ ſibi cauſæ reſponſum præbuerit. Si tamen ita ſors tulerit, ut in ea Provincia ad quam exequendi cauſa publici negotii aliquis proficiſcitur, alia quoque cauſa ſit exequenda, non prohiberi unum eundemque executorem ab hac urbe regia proficiſcentem, duorum ſimul, non[51] plurium negotiorum executionem ſuſcipere, dum ipſi[52] quoque tertii negotii non ſit injungendi [licentia] antequam de ſuperioribus reſponſum portaverit. Executoribus his, qui ſecundam, ſive ſimul duas, vel etiam tertiam cauſam paſſi fuerint exequendam ſuſcipere, non ſolum cinguli & bonorum ſuorum amiſſionem, verum etiam perpetui exilii ſupplicium ſubituris. Eandem hanc pœnam Numerarium quoque, & ejus adjutores, ad quorum curam quod violatum eſt pertinet, formidare.

7.

QUilibet executor[53] divinæ juſſionis prætorianive præcepti id prius inſinuare præſidi debet, ut is inquirat an ſit in eo vitium aliquod falſi, aut legibus adverſum aliquid, & an per obreptionem impetratum ſit. † Executio autem fit ſcripto, vel ſine ſcripto propoſitis ſacris Evangeliis, & præſentibus poſſeſſoribus omnibus, & una cum præſide inquirentibus, qui & opem executori ferent, ſi res digna videatur. Sed ſi quid manifeſto in ea falſi, vel illegitimi deprehenderit, ſuſpendet exactionem, & relationem mittet ad principem per agentem in rebus vel ad ſedem ejus a quo res proceſſit. Et interim executor quidem cautionem præſtabit pro rei qualitate: reus perſonalem, ſe ſiſti puta, idque ſine ulla impenſa. Debet enim executor indemnem eum præſtare quem convenit, ſi temere forſitan eum convenerit, quam cautionem, niſi præſtiterit, impune ab eo quem convenit repelletur. Præſes ipſe, vel alius ad quem juſſio dirigitur, cautionem exiget ab executore pro rei qualitate. Sed & ſi potuerit quis executionem repellere, & repulerit, debet præſes executorem reſtituere, & ab eo cautionem exigere perſonalem, & rem deferre: quod ſi negligat tam ipſe, quam ſuum officium, isve ad quem literæ miſſæ ſunt, de ſuo indemnitatem convento præſtabit, durante vel depoſito magiſtratu. Conſtitutio excipit eos, qui nomine tributorum obligati ſunt. Quod ſi pretio victi præſides non inquirant, qua de re ſuperius diximus inquirendum eſſe: etiamſi negligentia hic tantum argui videatur, & rei familiaris damnum patientur & magiſtratu ejicientur, & circa ſalutem periclitabuntur. Omnis autem lex Præfecto prætorio prius inſinuari debet, deinde in provinciam tranſmitti, & portitori dari aureos ſex,

1 Ne liceret, al. *nec latenter.* 2 Auctoritatem a ſacris literis diſtinguit: ut etiam auctoritas ſenatus a S. C. differebat: quemadmodum *ex* Cicerone *in princ. lib.* 3. *de Orat. epiſt. Cælii ad Ciceronem* & Dione *lib.* 55. conſtat. 3 Chriſtiani tantum ad dignitates memorialium, agentium in rebus & apparitorum admittendi. Idem in defenſore civitatis. adde *l.* 8. *ſupr. de defenſorib. civit. Novell.* 15. *ſupr.* advocato, *l.* 15. *ſupr. de Epiſcopali audientia. l. ult. ſupr. de poſtulando.* primatibus Alexandrinis, *l.* 6. *ſupr. de Epiſc. audient. & ibid. l.* 5. *l.* 19. *l.* 20. militibus, Cedrenus *id ita conſtitutum a Conſtantino refert.* Qua de re quod ad hanc legem attinet, teſtari tres juratos oportet apud acta, prius quam prolata probatoria ſuſcipiatur ex conſtitutione Græca. *Tit. ſupr. de Epiſcop. audient.* 4 Stylo. 5 *l.* 9. *ſupr. h. t.* 6 Obſervandis. 7 Præſentibus. 8 Subnexa. 9 Demonſtratur. 10 Vel colludio. 11 Abeſt a quibusd. lib. 12 Abeſt a plerisque lib. 13 Additur in quib. lib. *palatinorum.* 14 Prætorio. 15 Vicarii Orientis olim quatuor diœceſeos Thraciarum, Ponticæ, Aſianæ, Macedoniæ. Quod ad vicarium Thraciarum attinet, ætate Juſtiniani vicarius Longi Muri vocabatur: longus enim murus, haud parvum fuit munimentum præſidiumque Thraciarum, *Novell.* 26. *in pr. &c.* 16 Emendat Cujac. *militiæ in præſenti*, *Orientis* &c. 17 Amiſſionalium. 18 Pædagogiorum. 19 *Phœnicia Oſdroëna*, legit Alciat. *hic.* Cujac. emendat, *novi militis Phœnices, Oſdroënæ.* 20 Mœſiæ.

21 *L.* 8. *C. Theod.* 8. *Eclog. lib.* 7. *tit.* 4. 22 Vel. 23 *l.* 6. *C. Theod. h. t.* 24 *l.* 2. *in princ. ſupr. de Canone largitional. titul. l.* 10. *tit.* 23. 25 Vide *l.* 7. *verſ. Judicibus. ſupr. de exact. trib. l.* 10. *tit.* 19. 26 *l.* 6. *in fin. ſupr. de exact. trib. l.* 10. *tit.* 19. 27 Al. *conſiſtente.* 28 Impleatur. 29 *Al.* VI. 30 *l.* 7. *C. Theod. h. t.* Nec magiſterianus, nec palatinus, nec alius quiſpiam apparitor illuſtrium magiſtratuum titulorum exigendorum nomine commeans, vel mandatum adferens, & aliud ipſum exſequens, extra limites ſpecialiter ſibi præſcriptos agat: nec quæ alii mandata ſunt, alius facere præſumat. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 4. *ex lib.* 56. *tit.* 17. *cap.* 53. 31 Curæ. 32 Præſumitur pro nuncio & officiali. vide Alciat. 3. *præſumptionum* 14. 33 Ne quid injunctum alteri fuerit collegii jure alter præſumat uſurpare. *Goth.* Vid. *l.* 23. *Cod. de teſtam. text. in can. ſingula. diſtinct.* 89. *l.* 3. *Cod. de fabricenſib.* Anſ. 34 *l.* 9. *C. Theod. hoc tit.* Tam præfectiani, quam palatini & omnes apparitores alii, qui ad exequutionem mittuntur, ad judicem ſuum intra ſpatium anni ſeſe conferant eique declarent, quid ſit in reſiduis, & penes quos reſidua illa ſint. *Synopſis ibid. cap.* 54. 35 *l.* 4. *ſupr. de ſuſceptoribus. l.* 10. *tit.* 70. 36 Inſidens. 37 Prioribus. 38 Appoſita. 39 *Al.* vires. 40 *Al.* Imp. Zeno. 41 *l.* 10. *C. Theod. h. t.* Clarigationes ſeu Repreſſaliæ prohibitæ, ut *l. ult. ſupr. de omni agro deſerto l.* 11. *tit.* 58. & *Novell.* 52. *c.* 1. *Novell.* 128. *cap.* 14. *l. unic. ſupr. ut nullus ex vicaneis. l.* 11. *tit.* 56. Alius pro alio teneri non debet, ob id ſolum, quod ſit ejuſdem civitatis vel vici. adde *l. unic. ſupr. ut nullus ex vicaneis*, *l.* 11. *tit.* 56. *l.* 4. J. *de jure fiſci.* 42 *Al.* Imp. Anaſtaſius A. 43 Abſunt a quibusd. lib. 44 *Executor*, *in vet. lib.* al *exactionem exercere.* 45 Al. *proſcriptione.* 46 Officiali contra jus & æquum exequenti licet privatis ipſis reſiſtere. ut *l.* 5. J. *de jure fiſci. l. devotam.* 5. *ſupr. de metatis*, *h. lib. tit.* 41. *l. ult. ſupr. de diſcuſſoribus. l.* 10. *tit.* 30. adde quæ ſcripſi ad *l.* 4. *ff. de appell.* Goth. Vide Marci *dec. Delphin.* 772. Ant. Fab. *ad Cod. lib.* 7. *tit.* 20. *defin.* 15. S. L. 47 *Etiam, in quibusd. lib.* 48 *Executoris*, & *poſtea*, *vindicantis.* 49 *Al.* Juſtinianus A. 50 Tractatores qui, dictum in *l.* 10. §. 1. *ſupr. de Numerariis. h. lib. tit.* 50. 51 Vel. 52 Ipſe. 53 Executores, ut & exactores canonicarii miſſi in provincias aliter non admittendi, quam ſi mandatum & delegationem ſuam præſidi inſinuaverint. *Novell.* 128. *cap.* 10. Eadem ratione privatis in actionibus procurator creatus exigendi debitoris cauſa non aliter admittendus, quam ſi judici mandatum inſinuaverit: quæ ſententia Placentini fuit: a qua facit *l. exigendi.* 12. *ſupr. de procurat.* licet Accurſ. de ea diſputet, in *l. non ſolum.* 39. §. 1. *ff. de procur.* vid. Cujac. 12. *obſ.* 22.

Præſide

Præſide curante per omnes civitates ſuæ provinciæ legem promulgari ſine ulla impenſa Præſidis vel Defenſorum, vel portitoris. Et ſi quis ex ea re quid perceperit, in duplum tenetur, & magiſtratus dignitatem amittit, officialis officium.

TIT. LXII.

DE [1] LUCRIS ADVOCATORUM, ET CONCUSSIONIBUS OFFICIORUM, SEU APPARITORUM.

1. Imp. CONSTANTINUS [2] A. ad Ælianum Proconſulem Africæ.

SI [3] quis [4] a Ducenariis [5], vel Centenariis, vel fiſci Advocatis læſum ſe eſſe cognoſcit, adire judicia, & probare injuriam non moretur: ut in eum, qui convictus fuerit, competenti ſeveritate vindicetur. Dat. [6] Kal. Novembr. *Treveris*, CONSTANTINO A. IV. & LICINIO IV. CONSS. 315.

2. Idem [7] A. Eubulidæ Vic. Africæ.

PRæter [8] ſolennes & Canonicas penſitationes, multa a provincialibus indigniſſime poſtulantur ab officialibus & ſcholaſticis [9], non modo in Civitatibus ſingulis, ſed [etiam] manſionibus [10], dum ipſis & animalibus eorundem alimoniæ ſine pretio miniſtrentur. Provinciales itaque cuncti Judices tueantur, nec injurias inultas tranſire permittant. Dat. 3. Kalend. Jul. LEONTIO & SALUSTIO CONSS. 344.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Pompeiano Proc. Africæ.

QUotiens [11] compulſor arguitur in deprædatione convictus, etiam [12] non conſulta Clementia noſtra pœnam ſubeat legibus competentem. Datum prid. Kal. Jan. *Mediol.* STILICHONE & AURELIANO CONSS. 400.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Adriano P. P.

CUrialibus & Naviculariis, omnibusque [13] corporibus ita ſubveniri [14] volumus, ut nihil Apparitoribus univerſorum Judicum liceat, quod ad prædam Provincialium pertinet.

TIT. LXIII.

DE PRIMIPILO [15].

1. Impp. [16] VALERIAN. & GALLIEN. AA. Domitio.

COmmoda Primipilatus [17] poſt adminiſtrationem incipiunt deberi: & ſi is, qui ea percipere debuit, prius rebus humanis eximatur, heredibus petitio ſalva ſit.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Alexandro.

OBtentu nominis Primipili, civiles actiones ad alios Judices transferendæ non ſunt.

3. Iidem AA. Domnæ.

UTilitas [18] publica præferenda eſt privatorum contractibus: & ideo ſi [19] conſtiterit fiſco ſatisfactum eſſe ob cauſam Primipili, poteris obligatam tibi poſſeſſionem dotis titulo petere, ut ſatis doti fieri poſſit.

Solum ex cauſa Primipili filius non exiſtens heres patris poteſt conveniri pro patre, in aliis vero ſecus. Bart.

4. Idem AA. Dionyſio.

CUm [20] ex ſola Primipili cauſa liberos, etiamſi patribus heredes non exiſtant, teneri D. Aurelianus [21] ſanxerit: ſi neque ſucceſſiſtis patri veſtro, nec quicquam ex bonis ejus tenetis: conſequens eſt, a paternis creditoribus vos non conveniri.

TIT. LXIV.

PUBLICÆ [22] LÆTITIÆ VEL CONSULUM NUNCIATORES, VEL INSINUATORES CONSTITUTIONUM, ET ALIARUM SACRARUM VEL JUDICIALIUM LITERARUM, EX DESCRIPTIONE, VEL AB INVITIS NE QUID ACCIPIANT IMMODICUM.

1. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Floro Præf. præt.

QUicquid [23] noſtrorum [24] unquam nunciari cœperit proſperorum, ut [25] bella ſi deſinunt, ſi oriuntur victoriæ faſtus [26], ſi honor datus fuerit Regalium [27], vel Conſulum vel Trabearum, compoſitæve pacis erit offerenda tranquillitas, ſi [28] ſacros vultus inhiantibus forte populis inferimus: hoc ſine [29] immodico pretio nuntiari excipique ſancimus: actum [30] eſſe jubemus caſtiſſimum, indigentibus, non numerariis [31] eſſe præbendum judices ſtatuimus eſſe ſolicitos, ne turpi colludio quæratur ex miſeris pretium gaudiorum. Quod ſi id ſacrilega fuerit diſſimulatione violatum, & [32] accipientem pudoris fortunarumque manebit excidium, & cogentem par pœna multabit, & officium [33] triginta librarum auri vexatione quatietur. Dat. 4. Non Februar. CP. MEROBALDO II. & SATURNINO CONSS. 385.

[34] 2.

COnſtitutio [35] vult a ſingulis Provinciis Inſinuatoribus ſacrarum literarum, vel generalium Conſtitutionum, vel publicorum commonitoriorum [36], vel ſtatuarum ſex duntaxat ſolidos dari, & ab eo, qui amplius acceperit, quadruplum reddi, hoc inhibente Præſide, & Epiſcopo & Primoribus [37] Civitatis, omnique tam civili quam fiſcali adminiculo, niſi velit Epiſcopus in Principis indignationem incurrere, Præſes bonis & dignitate & civitate multari. Curet autem officium nec deſcriptionem [38] fieri ex iis cauſis ultra VI. aureos, nec ab invitis, & ab accipiente quadruplum inferri. At cum cives ſeipſos volunt deſcribere operis publici, vel frumenti coëmendi cauſa, & hoc ſibi concedi a principe petunt, nihil oportet lædi ex hac cauſa, ne ſacerdotes indignationem eandem incurrant, Præſides dignitatem amittant & publicentur: officium in corpus torqueatur, niſi Principi detulerint, quicquid contra hanc conſtitutionem fuerit admiſſum. Poſſunt enim deſcripti reſiſtere deſcribentibus: vel ſi nequeant reſiſtere, licet eis invocare Præſidem, & deferre Principi. Sed non oportet patres [39] Civitatum vel Sitonas [40], vel Suſceptores ex reditibus, quos habent in manu, quidquam præbere, ſed eorum quantitatem deſtinatæ neceſſitati ſervare debent. Quod ſi Præſes violarit, de ſuo eos reditus implebit. Fiſcales enim & civiles res imminutas ſervare neceſſe eſt.

1 *L.* 8. *C. Theod.* 10. 2 *Al.* Conſtantius. 3 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 4 Conjunge *l.* 3. *ſupr. de exact. l.* 10. *tit.* 19. & *l.* 3. *ſupr. de advocat. fiſci.* 5 Ducenarii & Centenarii qui eſſent, dixi ad *l.* 5. *ſupr. de princip. agent. in reb.* 6 *Al.* Dat. 6. Id. Nov. Treveris. Acc. 15. Kal. Mart. Carthagine, Conſtantino A. 4. & Licinio Conſſ. 7 *Al.* Conſtantius. 8 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 9 Id eſt, advocatis, *ut hic interpretatur* Cujac. & *multis auctoritatib. confirmat*, Græci συνήγορες, Quo nomine primum nuncupati Rhetores (ut Cornelius Tacitus ſcribit, *libr. de Oratorib.*) & declamatores fictarum litium: deinde a fictis litibus tranſiit ad veras. Plin. 2. *epiſt.* 10 Manſiones, *hic* & *l.* 8. *ſupr. de annon. & tribut. l.* 10. *tit.* 16. *l.* 2. *ſupr. de conditis in publicis horreis. l.* 10. *tit.* 26. *l.* 9. *ſupr. de ſuſceptorib. l.* 10. *tit.* 70. *l.* 9. *C. Theod. de annonis*, *l. Claudiopolis.* 119. *C. Theod. de decur.* ἀλλαγαὶ manſus & diverſoria militum, vel ſacri comitatus ab oppidis ſeparata, quæ annonis & pabulis inſtruebantur ex collatione vicinorum, non eorum, qui procul disjuncti. Galli, *Eſtappes.* 11 *l.* 3. *C. Theod. h. t.* 12 Etſi. 13 Omnibus quoque 14 Subvenire.

15 *Primipilus* eſt decurio primæ cohortis, regit autem quatuor centurias. *Veget.* Sed Theodorus Hermopolit. *lib.* 9. *tit.* 9. Primipilum definit annonam, quæ datur Primipili centurionibus, ut inter milites diſtribuatur, vide *hic* Alciat. dixi ad *l.* 3. J. *h. t. ad l.* 7. *ſupr. de cohortalib. h. lib. tit.* 58. 16 *Al.* Imp. Gordianus A. 17 Primipili. 18 Publica utilitas præferenda privatorum contractibus. *l.* 4. *ſupr. qui potiores. Novell.* 97. *cap.* 4. 19 Doti res mariti quidem tacite obligatæ ſunt, primipilum tamen ei præfertur. Eſt vero πριμίπιλον ἡ στρατιωτικὴ ἀννόνα, militaris annona. Quare ſi quis primipilum debeat & dotem, primipilum præfertur. *Synopſ. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex lib.* 15. *tit.* 2. *cap.* 28. *ubi Scholiaſtes*, & *ex tit.* 17. *cap.* 64. Goth. Sunt & multa alia ſingularia, ut ſi debitor ex cauſa primipili, vel fidejuſſor aut nominator ejus ſolvendo non ſit, dos uxoris fiſco vindicetur. *l. fatis. ſupr. in quibus cauſ. pig. tac. contr.* Et res etiam ſpecialiter obligata dotis nomine & donata, licet primipili morte confirmata ſit donatio *l. non verum. ſupr. de donat. int. vir. & uxor.* Ut fiſco teneantur filii primipili, etiamſi heredes non extiterint. *l. ſi tutores. ſupr. de compenſ.* Ut urgente fiſco adverſus debitores ſuos debitor ex cauſa primipili agat etiam ante diem. *l.* 1. *ſupr. de condict. ex lege.* Mod. 20 Primipili cauſa quod pater debet, liberos ejus heredes obligat, etiam ſi patris heredes non ſint, quod jus ſpeciale eſt. Nam ex ſola primipili cauſa tenetur, qui hereditatem paternam non adierunt liberi, at non ab aliis patris creditoribus, quod jus Græci autores παράδοξον inſolens & novum appellant. *Syn. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex lib.* 56. *tit.* 17. *cap.* 64. Harmenop. 3. *tit.* 5. §. 84. adde *l.* 3. *ſupr. de revocandis his quæ in fraudem cred. alienata ſunt.* 21 Al. *Trajanus.*

22 De conſuetudinibus, quæ a provincialibus dantur perferentibus miſſas a principe ſacras ſive judiciales litteras. Idem de conſuetudinibus, quæ dantur perferentibus conſtitutiones eorum, qui magiſtratum civilem vel militarem geſturi ſunt. *Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. περὶ συνηθειῶν *ex lib.* 56. *tit.* 17. *cap.* 67. 23 Huc pertinet *l. un. libr.* 8. *tit.* 4. *C. Theod.* 24 Qui publicas adferunt hilaritates ſive gaudia (δημοσίας ἱλαρίας καὶ χαρμόσυνα ἐπιφερόμενοι) nihil omnino a provincialibus accipiant: ſive hoſtium abitum, ſive victoriam, ſive conſulatus renunciationem, ſive pacem cum hoſtibus compoſitam, ἔτε λαβράτε (alias λαυράτε) id eſt, laureatum renuncient. *Syn. Baſil.* 56. *circa finem tituli* περὶ συγχαρίων. 25 Ad. 26 Ex vet. lib. emendat Cujac. *faſtis*, ſic enim legitur in *lib. Aured.* 27 *Regalium trabearum*, in libro Aured. & ita emendat Cujac. 28 Id eſt, quoties urbem aliquam ſolenni ritu ingredimur. 29 Id eſt, modo non excedat ſex aureos. *l.* 2. J. *h. t. l.* 26. §. 2. *ſupr. de Epiſcop. audient.* 1. Cont. *diſpunct.* 14. 30 Gerulum jubemus eſſe caſtiſſimum: indices nummarios eſſe prohibemus, ita ex *C. Theod.* & *lib. manuſcr.* emendat Cujac. & *nummarios* interpretatur *lucri avidos.* 31 Indicibus non nummariis. 32 In. 33 Officio. 34 *Eclog. lib.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 56. *tit.* 27. *cap.* 67. 35 Hæc lex *epitom.* 2. *part.* 6. *conſtit. Græca ſupr. de epiſcopal. audient. quam ſuo loco reſtituimus.* 36 Συμβολαίων. *Synopſis Baſil.* 7. *tit.* 6. *dict. tit.* περὶ συνηθειῶν. 37 Primores civitatum, locupletiores. *l. ult. ſupr. ut nemini liceat in empt. ſpecier. l.* 10. *tit.* 27. 38 Exactores publicorum tributorum collectas pecunias jubentur ſtatim curatoribus Reipublicæ præſtare, ſine ulla diminutione, vel ſportularum, vel deſcriptionum ſpecie. 39 Patres hi civitatum, qui & Curatores Reip. 40 Σιτῶναι curatores emendi frumenti. Hi, ut & curatores, ſeu patres civitatum & curatores operum, creabantur decreto epiſcopi & primorum civitatis. *Novell.* 128. *c.* 16.

CODICIS
DOMINI JUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS
EX REPETITA PRÆLECTIONE,
FINIS.

AUTHEN-

AUTHENTICÆ,

SEU

NOVELLÆ CONSTITUTIONES

DN. JUSTINIANI

SACRATISS. PRINCIPIS,

ACCEDUNT

EDICTA XIII. JUSTINIANI,

LEONIS, ET ALIORUM IMPP. NOVELLÆ,

NEC NON

CANONES SS. APOSTOLORUM,

CUM NOTIS

DIONYSII GOTHOFREDI JCti

ET

ANTONII CONTII

IN LIBRUM NOVELLARUM

PRÆFATIONE.